

gandi ecclesiam ab his fecibus, nisi forum penitentiale, debuit in isto adhibere rigorem canonum. Principes christiani cum viderint ecclesiam satis punire talia scelera, iudicia hanc ecclesie reliquerunt usque ad seculum undecimum, nec multum curarunt in foro externo illa crimina punire. Nunc autem cum omnia illa crimina severe puniantur per leges Principum, potest ecclesia agere mitius, quia non amplius erat periculum, ne publice talia scelera invalerent. 4. Antiquitus non dabatur tot subsidia promovendi sanctitatem in populo, prout nunc dantur; multiplicabantur scelera, & non erat efficax remedium resistendi torrenti, ne prorsus inundaret omnia, nisi timor canonum penitentialium; nunc autem multiplicatur Clerici, Ecclesie, Parochie, Catecheses, Conciones, Scholae, & Libri pii, exempla Sanctorum ac piorum. Leges Juris ecclesiastici, religiosi ordines, monasteria, quae omnia multum faciunt ex hoc mundo exhauriant, juventutem christianam partim bonis moribus imbuedo, partim a mundo extrahendo, partim in exemplum suorum propinquorum constituendo. Itaque rigore tanto amplius opus non est eo tempore, quo plus inferret damni, quam lucri. 5. Antiquitus non erant introductae in populum tot pie consuetudines, & devotiones publice, quae, dum fideles perpetuo occupant, ac distrahebant, poterant a malis occupantibus avocant. Tales sunt festivitates frequentes, confessiones, comprecationes, peregrinationes, confraternitates &c. Itaque sicut virga est domo eiecitur, liberis jam adultis, & ad sanam rationem compositis, ita antiqua disciplina non est retinenda ab ecclesia in optimo statu constituta; neque per hoc mutatur spiritus ecclesie, quia sicut anima una remanet in corpore humano, pro diversitate aetatis, ac semel valde diverso, ita in ecclesia datur quaedam una, ac immortalis anima legum omnium, intentio videlicet legislatoris semper respicientis ad bonum commune, ad necessitatem temporum, & ad utilitatem plurimorum.

Objicies 2. Romani Pontifices nunc habent eum modum tenendi in suis indulgentiis, quasi possent satisfactiones Sanctorum dispensare, cui vellent, quod antiquitus non presumpserunt, sed contenti fuerunt suis satisfactionibus Christi. 2. Iidem nunc potestatem suam etiam extendunt ad purgatorium. 3. Ii nunc soli pro toto mundo dispensant indulgentias, quod antiquitus non legitur.

Respondeo ad 1. Satisfactiones Sanctorum indulgentiis esse accidentales, potuerunt ergo omitti vel addi in applicatione indulgentiarum, quamvis eas ob ipsam convenientiam intrinsecam etiam antiquitus ordinarie adhibitas fuisse, jam supra ostensum sit. Cum ergo versemur in re accidentali, mutatio quoad substantiam fieri non potuit. Quod vero hac satisfactiones Sanctorum indulgentiis sint accidentales, testatur Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis cap. 4. his verbis: "Non est quidem opus, ut adiungatur passiones Sanctorum passionibus Christi, quasi haec per se non sufficiant; sed adiunguntur tamen, quia aequum est, ut illae passionibus non sint inanes; quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus Sanctorum, id est, an applicetur una pars satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus Sanctorum? An vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, & superaddantur ad cumulum satisfactionis passiones Sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. Ita Bellarminus."

Ad 2. dico. Indulgentias pro defunctis esse solemnes deprecationes pro defunctis, in quibus Summus Pontifex nomine totius ecclesie pro defunctis Deo offert Sanctorum, & Justorum opera; prout ostenditur in decursu operis. Cum ergo semper ecclesia oraverit pro defunctis, ut ostendunt Polemici, & Baronius ad annum 34. a num. 314. nihil in hoc innovarunt pro indulgentiis Summi Pontificis, sed per eas solum invitavit fideles ad secum comprecandum pro defunctis, & ut ad hoc facilius exciterent, promittit Papa, se interpositurum simul pro tali anima deprecationem ecclesie,

& oblaturum Deo pro illa anima Sanctorum opera.

Ad 3. respondeo. etiam antiquitus relaxationes tantum fuisse factas ex tacito vel expresso consensu Summi Pontificis. Quod relaxatio pro moechis habeat originem a Zephrino Papa, testatur Tertullianus; quod lapsus in Idolatriam facta sit communio, & relaxatio factum est ex contenta expresso Cornelii Papa, ut testatur D. Cyprianus *Epist. 53. supra relata.* Et modum relaxationum etiam pro homicidis praescripsit Episcopus Germaniae Nicolaus I. ut testatur ejus epistola, haecenus inedia. Denique quod antiquitus factum est ex generali consuetudine ecclesie, haud dubie vim suam habet ex consensu tacito legislatoris. Quod si ergo in similibus taciti, & expressi eadem est vis, sequitur, etiam antiquitus omnes indulgentias per consensum tacitum Summi Pastoris ecclesie substituisse. Rectius autem, & clarior ea dependentia postmodum exprimi crepit per modernam indulgentiarum formam, quia solius Universalis Episcopi potestas se extendit ad omnes fideles, vi cuius tacite ipsi omnes voluntates, intentiones, & dispositiones subjiciuntur. Quod si Pater potest dispendere de voluntate uxoris, & liberorum quoad vota; Princeps de voluntate subditorum quoad contractus, & testamenta; Superior communis quoad communicationem, & participationem bonorum operum de voluntate subditorum: cur non conveniens fuerit, ut etiam voluntates fidelium, ac intentiones tacite subdinerentur voluntati Papae, ejusque dispositioni relinquuntur opera satisfactoria ad expiationem propriorum criminum, vel largitatem Numini redundantia? Si autem haec subordinatio voluntatum ad voluntatem Christi in terris Vicarii est ecclesie congenita ac essentialis ad ipsum ordinem hierarchicum, nihil novationis contingere potuit, dum principes fidelium eam voluntatem a suorum dependentium actuali dispositione circa satisfactiones justorum superfluis, & ad Deum oblatione priorum operum manifestius exposuit.

IX. Vera indulgentiarum idea juxta sensum, & spiritum ecclesie haec est. Cum nos peccatores imparesimus ad satisfaciendum divinae justitiae per debitis per peccata contractis, partem vero istius debiti per opera nostra laboriosa solvere valeamus, clementissima Mater ecclesie thesaurum nobis aperit meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorum, ac per hujus thesauri applicationem id supplet, quod ob infirmitatem, & imbecillitatem reddere non possumus. Itaque indulgentiae infirmitatis nostrae supplementum conceduntur. Quamobrem nos non liberant ab ea solvendi debiti parte, quam solvere valeamus, sed suppleunt id quod attente imbecillitate nostra reddere non valeamus. Duo ergo hic attente ponderanda sunt, ut gravissimi Doctores movent. Primum indulgentias valde salutares, & utiles esse; quod solvunt eam debiti partem, quam per temporariam poenam in hac vita vix possumus, in altera vero gravissimis purgatorii poenis solvere deberemus; deinde indulgentias hac ratione concessas, & usurpatas, non enervare ecclesie disciplinam, non fovere poenitentium ignaviam; sed imbecillitatem nostram erigere, atque juvare, & spiritum inflammare nostrum, ut alacrius & celerius, id quod possumus, reddamus, supplendo id quod pro infirmitate reddere non valeamus. Audiatur Cardinalis Cretanus, qui adversus Lutherum de ecclesie indulgentia disciplinam exposuit, & repugnavit, ac regulas fidelibus exhibuit: *In tract. de Indulgentiis quest. 2.* haec habet: "Sunt poenitentiae simplicis ordinis. Quidam solliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis: quidam negligentes satisfacere per seipsos. Primi, condignas poenitentias vel petunt a confessoribus sibi imponi, parati eas implere; vel sponte illas assumunt, dum continuo student pro sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, elemosinas dando &c. Secundi vero levissimam poenitentiam aut rogant, aut leti suscipiunt, & cum nihil impleverint, quam scintille esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo, & hi sunt, quibus indulgentia non prosunt iudicio meo. Nullus enim indignus aliena satisfactione pro poena sibi debita,

con-

consequitur veraciter fructum indulgentiae. Sed quilibet negligens satisfacere perse ipsis, est indignus aliena satisfactione pro poena propriis peccatis debita. Ergo nullus negligens satisfacere per seipsos acquirit fructum indulgentiae. Praeterea in qualibet bene ordinata republica, quantumcumque rationalis adesset, quandoque causa dispensandi thesaurum in cives gravatos aere alieno, negligentes tamen solvere (quod potest) indigni censentur adjuvato thesauri. Ex eo nemini quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine: & nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur. Legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos.

Cum igitur ecclesia sit a Deo ordinata, aequum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentibus pro dignis habeatur; hoc enim esset enervare satisfactiones poenitentiales. Non prosunt ergo indulgentiae negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt. &c. Parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere; sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impediat. Consulto etiam Benigni Bossuet *instructionem pro indulgentiis comparandis*: Doctissimus Episcopus animadvertens in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 11.* definiti, plenam illam & integram peccatorum omnium remissionem, quam per Baptismum consequitur, per sacramentum Poenitentiae obtineri non posse, *Sine magis nostris fletibus, & laboribus divina id exigente justitia*, ita concedit sibi plebem alloquitur: "Audente, filii, ecclesiae matris vestrae verba. Illa vobis proponit magnos fletus, & magnoque labores, baptismum laboriosum: Illa vos docet, divinam justitiam id exigere. Hic ecclesiae rigor a suo spiritu oritur, qui nunquam extinguetur. Nec illa unquam cessabit bellum indici laxitati. Quid refert cum Concilio molliorem detestari hereticorum, qui sanctos satisfactionis rigores rejecerunt, si nos in similem languorem incidamus, & id re ipsa contemnamus, quod verbis confitemur?" Et postquam ostendit Concilium docere divinam quoque clementiam decere, ut peccata post baptismum commissas sine poena satisfactoria non remittantur, ac poenam hujusmodi a novis patrandis peccatis non coercere, similesque Christo nos efficere, ideoque confessorios convenientes poenitentias imponere oportere, satis apte concludit, ecclesiam aperire thesaurum sibi concredutum, sive indulgentias concedere, ut suppleat inopiam nostram, & integrum poenarum debitum hac praesertim aetate nostra, in qua vix unquam poenitentiae pravitate aequales aut a confessoribus imponuntur, aut sponte suscipiuntur a nobis, sive ob vitae brevitate, sive ob spiritus languorem, diminutumque charitatis fervorem. Et sane, quis in animum inducat suum, ecclesiam, dum concrediti sibi thesauri divitias nobis effundit, velle aut sortordiae nostrae inservire, aut peccandi liberius ansam praebere, liberando homines a poenis satisfactoriis, quibus a peccatis coercerentur, quibus passionum impetum cohibent, quibusque in charitate illa exercentur, per quam Deo satisfacere, eique placere student?"

X. Quae cum ita se habeant, quis aequo animo ferat Lucii Ferrarii opiniones, quas recenset, & probat *art. 3. num. 4.* & sequentibus? Quis non videat injuria sententium conquirere de nimio Romanorum censorum rigore, qui probatas a Venetis censoribus opinionibus laxitatis notant? Scribit enim sub *num. 4. indulgentia plenaria liberat ab obligatione implendi quamlibet poenitentiam etiam medicinalem, sibi impositam a confessorio*; ac sequentibus *num. 4.* id argumentis ostendere conatur, in *num. vero 6.* Glossa asserit Bonifacium VIII. *Noluisse confessorios imponere aliquam poenitentiam sibi, qui lucrarentur jubileum, & num. 8.* decere quidem, ac non debere Confessorium poenitentiam imponere; ac dictis similia habet *num. 10.* Quae enim superior in numero exposita sunt, non solum medicinales, *FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. V.*

sed etiam satisfactorias poenitentias injungendas esse probant illis quoque, quibus indulgentiae concedantur, licet satisfactoria mitior esse possit, dum eam suppleant opera injuncta; sed hac quoque in re cauti Sacerdotes esse debeant, ne contra ecclesiae mentem agant. Videri poterit Euseb. Amort. *part. 2. sect. 4.* ubi ex Patribus Concilii Summi Pontificis ac gravissimis theologis etiam satisfactoriae poenitentiae obligationem ostendit. Ad Lucium noster a medicinali quoque poenitentia homines absolvit, quae imponenda est cum grave periculum peculiare re lapsus jure naturae auferendum est. Sed ad rem veniamus. Poenitens est, qui detestatur peccata, qui a peccato abstinere proponit, qui tactus vero cordis dolore a peccato & creaturis aversum, & conversus ad Deum esse incipit; fac vero medicinalem poenam necessariam eisdem esse, ut in proposito stet, ut in conversione perseveret, quis dicat hunc indulgentiae virtute, a medicinali hac subeunda poenitentia liberari? Indulgentia vere poenitentibus conceditur; at vere poenitens non est, qui implere nolit poenitentiam, qua propositum firmetur, quaque foveatur, perficiaturque conversio, ut consideranti liquet. Rursus quodcumque peccatum lethale malignas in anima qualitates relinquit etiam post sacramentalem absolutionem. Ergo peccatores omnes medicinali indigent poenitentia, qua ab hujusmodi mordo eruantur pro criminum, & status diversitate. Nec iis favet antiquorum auctoritas, qui injungendam poenitentiam negant, dum sit indulgentia concessa; nam illi de poenitentia loquuntur, quam Confessarii ex praescripto Canonum poenitentialium injungere debebant, cujus loco opera injuncta adimplenda erant. Sed sufficiat in hujus rei comprobationem ea in medium afferre quae Cardinal. Denhoff Episcopus Casanatensis scripsit.

XI. Is itaque in instructione ad populum, cavere vobis, inquit, ab abusu, quem nonnulli Sacerdotes invenerunt, qui tempore Jubilaei, aut occasione plenariae indulgentiae, gravissimorum criminum reus levissimas satisfactiones decernunt, hoc nimirum obtentu, quod ejusmodi indulgentiae, si operae in concessionibus Summorum Pontificis, assignata accurate persolvantur, simul cum culpa poenam etiam penitus aboleant. Haec enim agendi ratio adversatur menti Sanctae Ecclesiae, quae quidem cupit filiis suis operam ferre, ut poenae debitum exolvant, cui solvendo impares sunt; nonnulli quidem virum inopia, alii vero vitae termino prohibiti; quare complures non adimplent poenitentiam delictis suis convenientem, sed eximire non vult ab obligatione legis divinae, quae idoneos poenitentiae fructus facere jubet. Neque desides reddi, aut tardiores in operibus satisfactionis, quae tanto opere in sacris Scripturis, & a Sanctis Patribus commendata sunt, seculo exercendis. Ideo Concil. Trident. tradit, nusquam esse in ecclesia semitam tutiorem, qua liceat evadere supplicia, quae Deus peccantibus minatur, quam ut crebro quis in hujusmodi operibus poenitentiae agendis occupetur, idque cum vero, & sincero doloris affectu. *Neque vero securior ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo poenam, quam ut haec poenitentia opera homines cum vero animi dolore frequentent, sess. 14. & cap. 8.*

Hanc ecclesiae mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum literis, quibus eas impartiri se vere poenitentibus aiant, his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relabendi, & voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Quum lapsus ad hunc modum animo est comparatus, & suis partibus sedulo defungitur, ut divinam justitiam placare queat, ecclesia velut pia mater in auxilium accurrit, ut indulgentiae beneficio, quod restat debiti, solvat: vel plene, si plena est; vel in tantum, quantum illa conferat. Hinc usuerunt, ut plena indulgentia non omnibus, qui exuto peccandi affectu, praescriptas condiciones admissim praestiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem; quia non omnium eadem est debitorum ratio; neque eodem omnes studio pro viribus egerant, ut ea diminuerentur; quorum beneficii dispensator semper rationem habere censendus est. Ita docet S. Bonaventura: *T* "In-

Indulgentia, inquit, quantum est in potestate dantis, tantum valet, quantum promittunt. Non tamen cuilibet valet tantum, nec equaliter omnibus; sed secundum existimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde presupponere, quod dona & miserationes S. Spiritus donentur cum aequo libramine. In 4. sent. dist. 20. q. 6. sub finem.

Idem colligitur ex constitutionibus quibusdam Summorum Pontificum, ubi expresse pronuntiant: hanc sibi esse intentionem. Liqueat in decreto Bonifac. VIII. quod incipit. Antiquorum, extravag. de penitent. & remissione, ubi promulgando indulgentiam Jubilaei universalis: Unusquisque tamen plus merebitur, ait, & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit. Et in statuto Innoc. IV. edito in primo Concilio Lugdunensi, quo plenam concedit indulgentiam iis, qui sumptus conferent in bellum sacrum, unumquemque lucrifacitum juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum. His autem satis indicant plenam indulgentiam quemque fieri participem tam secundum modum operum penitentiae, quae fecerit, tum secundum pie devotionis fervorem: atque ea ratione imminui debitum satisfactionis.

Cardinalis Baronius, vir sane magnus, & qui ecclesiae de indulgentiis sententiam apprime noverat, postquam indulgentias à Gregor. VII. concessas Episcopo Lincolnensi, ea lege, ne opera penitentiae negligantur secundum cuiusque facultatem, suis annalibus ad A. MLXXIII. N. LXXI. inseruisset, ait, sanctum Pontificem hanc legem, seu conditionem adjecisse, ut appareat sedis apostolicae indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentibus torpescuntibus. Eiusdem sententia fuit Cardinalis Cajetanus, qui citata formula jam memorata, vere penitentibus, qua Pontifices Romani uti solent, ait, indulgentiam non consequi penitentibus negligentibus, sed penitentibus sollicitis, qui soli sunt vere penitentes. Deinde explicat hujus doctrinae utilitates; ad cujus normam, ut observat, solvuntur omnes quaestiones, tam de nimis largo Dei foro, quam de omitendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione sapientum, & oblocutionibus detrahentium: & excitantur fideles ad penitentiae opera. Nec aliquid admittit efficacia indulgentiarum, sicut nil admittit efficacia sacramentorum, ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse bene dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Solum quidem indigni indulgentia, ab illius fructu juxta hanc dicendi modum excluduntur. Tract. 10. de suscipiendis indulgentiis q. 1.

Ecclesiae hodie indulgentiae munera dispensat eadem, qua olim, mentis intentione. Nam in Jubilaeo commendat opera ad satisfaciendam idonea, puta jejunia, elemosinas, preces, & ecclesiarum visitationes. In reliquis autem plenae indulgentiis juvet, ut praestitis è praescripto operibus, Penitentiae Sacramentum adeatur. Ita credentibus modum suggerit, quo indulgentiae donum sibi comparent, sive ad plenam satisfactionem dudum inchoatam, sive ad eluendum penitentiae neglectum, nempe faciendo opera penitentiae, quae in bullis pontificiis designantur, & vehementer dolore peccata sua detestando. Igitur cum haec opinio videatur menti ecclesiae magis consentanea, concludimus cum S. Bonaventura in 4. sent. dist. 15. p. 1. art. 1. q. 111. Ideo sanum consilium est, quod homo semper peniteat.

Idem placuit S. Thomae: idque omnino nobis in cathedra confessionis amplectendum est, & sequendum: Consulendum est, inquit, eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus penitentiae injunctis abstineant; ut autem ex his remedium consequantur, quamvis à debitis poenae essent immunes, & praecipue quia quandoque sunt plurimum bitores, quàm recedant. In 4. sent. 20. quest. 1. art. 3. quaestio-nula 1. ad 4. Cardinalis Bellarmini doctrina dogmati Doctoris Angelici plane accinit: Omnino, ait, vir cõ-siderandissimus, sic accipiunt prudentes christiani pontifi-

cas indulgentias, ut simul etiam studeant dignos fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere. Lib. 1. de indulg. cap. 12.

XII. Dicent vero; indulgentiae plenariae sunt; ergo omnem plane temporalem poenam remittunt. Nulla ergo à Confessariis imponenda poenitentia satisfactoria, aut medicinalis, ac nulla in poenitente obligatio esse debet hanc subeundi poenitentiam; dum plenaria ei concessa sit indulgentia. At jam diximus, plenariam vocari indulgentiam, quatenus plene, & integre supplet id, quod ad integram satisfactionem deficit. Ergo plenariam non excludendo, sed includendo opera satisfactoria, qua ratione supra ostendimus. Praeterea, plenaria indulgentia iuxta mentem concedentis, & dispositiones suscipientis attendenda est. Dum vero Summi Pontifices plenariam indulgentiam concedunt, eam vere poenitentibus largiuntur. Numquid vere poenitentes dici possunt, qui injunctam à Confessariis satisfactoriam poenitentiam adimplere obtentu indulgentiae recusent? Quid vero si poenitentia medicinalis sit, sive ordinata ad illos animi morbos averruncandos, qui proclives homines ad peccandum faciunt? Neque enim vere poenitens haberi potest, qui paratus sit medicinam illam spiritualem usurpare, quae ad firmandum de non peccando propositum necessaria est. Plenaria praeterea est ex parte suscipientis indulgentia, quando is tanto devotius fervore, tanto charitatis affectu, & tantis pietatis operibus se disponit, ut ei omnis remittatur poena; at haec dispositiones in eo, qui non suscipiat onus satisfactoriae poenitentiae à Confessario injunctum, omnino desiderantur. Tenetur ergo poenitens etiam Jubilaei tempore has poenitentias adimplere; & confessarius imponere eas debet veluti opera ad Sacramentum Poenitentiae complendum ordinata. Fallitur ergo Lucius noster, dum ait in praxi decere tantum, quod confessarius istas imponat, cum imponere revera debeat, etiam attentis Bonif. VIII. Bulla, in qua Jubilaei indulgentia solis vere poenitentibus promittitur, atque conceditur. Ad Glossam quod attinet, quae asserit noluisse Bonifacium, ut Confessariis aliquam poenitentiam injungerent, dicere primum possumus, id adversari ipsius Bonifacii bullae, ut superius innuimus; deinde exponi mens Bonifacii poterit de poenitentibus per canones injunctis, non vero de medicinali, & satisfactoria à Confessario injungenda ad animi morbos medendos. Atque haec de indulgentiae effectu sufficiunt.

XIII. Venit nunc ad indulgentias, quae pro defunctis applicantur. P. Lucius Ferraris num. 16. ait: Indulgentia pro defunctis pressant certo, & infallibiliter illis determinatis animabus, quibus ex intentione Summi Pontificis applicantur, secundum ordinariam Dei legem &c. Audiatur hac de re Passerinus, cujus doctrinam probat clarissimus Eusebius Amort. Examinans, an indulgentia pro defunctis habeant effectum infallibiliter; sic respondet. Prima sententia id negans habet tres rationes. Primo, quia inferior non potest aliquem infallibiliter liberare à poena inflicta per superiorem, etiam compensando, & dando aequivalentem, nisi superior se specialiter obligaverit ad acceptandam compensationem. Quod vero Deus promiserit, ac se obligaverit ad acceptandam compensationem pro defunctis, non constat. Secundo, quia sententia iudicis post mortem transit ex conditionata in absolutam, unde non remanet locus satisfactioni per compensationem, quae inicitur iustitiae, sed solum quae inicitur divinae misericordiae. Tertio, quia ob hanc causam etiam privata suffragia non habent infallibilem effectum, dum fiunt pro defunctis, sed solum ex libera acceptance divinae misericordiae. Hanc sententiam tenuerunt Richardus 4. d. 15. quest. 203. Durand. quest. 4. num. 12. Cajetan. 1. tract. 16. quest. 5. Cordub. art. 6. quest. 13. & 15. Canus l. 12. de loc. c. 13. ad q. Domin. Sotus 4. dist. 19. p. 2. art. 4. Petrus Sotus l. 3. de indulg. Henricus l. 7. cap. 7. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 7. Bonac. dist. 6. quest. 1. part. 6. Lezana verb. Indulgentia num. 5. Amicus tit. 8. dist. 20. tert. 8. num. 176. & eandem rationabilem vocat Bellarminus l. 1. cap. 14. Re bene pensata apparet, primam (hanc) sententiam esse veriore, quia non constat

tat de speciali promissione Dei, quae se obligaverit ad acceptandam compensationem, quam Pontifex ad favorem animarum purgatorii facit dando indulgentiam per modum suffragii. Notare hic juvat, indulgentias non concedi mortuis per modum iudicii, & absolutionis; quia ecclesiae exercere iudicium nequit in illos, qui suae jurisdictioni non subiacent, ut sunt aortui. Istis itaque conceduntur pro modum suffragii. Nomine autem suffragii Theologi intelligunt subsidium ecclesiasticum, quod conferri potest, aut merendo per opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatum; ut communitur Auctores explicant.

XIV. Plura alia fuere à Censoribus notata, quae nos paucis indicabimus. Primo, quod Lucius n. 32. art. 3. asserit à Summis Pontificibus non exigi confessionem, & communionem veluti opus directe iunctum pro adquirenda indulgentia. Id non placet, quia dum Pontifex confessionem & communionem exigit, has inter praecipua opera recenset, quae ab iis praestanda sint, qui indulgentias lucrari velint. Secundo, quia eodem in numero paulo infra docet, sufficere iudicium à Pontifice confessionem, quae etiam ante octo dies praestata fuerit. At id celebrioribus Theologis improbatum est, & à Sac. Indulg. Congregatione definitum fuit, confessionem saltem in vigilia fieri debere illius diei in quo acquirenda sit indulgentia; ut ex decreto infra referendo. Tertio, quod dicat non requiri confessionem peccatorum venialium, nisi id expresse in concessione indulgentiae declaratur. Sa-niores vero Theologi etiam tunc confessionem faciendam esse docent, non solum quia tutius id est, sed etiam consentaneum est praxi fidelium, & eodem indicando decreto definitum est. Quarto, non placet dum asserit indulgentias ad septennium concessas complecti septem annos utiles, ita ut occurrente anno Jubilaei intermedio in quo illa indulgentia cesset, prothali debeat octavam usque. Nam id arbitrari prorsus asseritur, atque in gratia concessione satis perspicue videtur, ut nova, expleto septennio, supplicatio fiat. Quinto, non adeo facile permitendum Censores putant, quod affirmat Lucius de indulgentiis tempore Quadragesimae concessis, quae incipiunt ab hora, in qua vespere celebrari solent; nam ut animadvertit Amort quest. 55. quando conceditur indulgentia plenaria à primis vespere, usque ad occasum solis in die festo, incipiunt indulgentiae ea hora, qua in loco aut in vicinia solent inchoari prima vespere, ac deficiunt ea qua ibi locorum sub subito solet horizontem. Quamobrem prima vespere intelligendae sunt juxta morem loci, aut viciniae. Non itaque videtur attendendus peculiaris Quadragesimae ritus.

Sed quidquid sit de hoc: quando conceditur indulgentia plenaria pro aliquo die festo, aut feriali, non exprimitur prima vespere, videtur, saltem circa indulgentias à ducentis annis concedi solitas, eam incipere à medio noctis, & durare usque ad medium noctis, non à primis vespere. Ratio est, quia illud discrimen, quod in nonnullis bullis id non exprimitur, minime censori debet otiosum, & vacuum ratione, adeoque cum huiusmodi bullae destinatae consilio quoad determinandum indulgentiarum initium diversa sint, etiam operantur eorumdem initium diversum; & cum stylo ecclesiastico per analogiam aliis rebus ecclesiasticis, puta festis, horis canonicis, missis, jejunii conforme sit tempus à medio noctis usque ad medium sequentis: prout est, etiam Pontificem ad hoc tempus quoad indulgentias respexisse. Sexto denique circa ea, quae Lucius habet num. 8. art. 4. de revocatione indulgentiarum facta per Paulum V. docti Censores monentes esse lectores censuerunt, ut attendente legant Pauli V. constitutionem incipientem, Romanus Pontifex, ex qua facit intelligi, quae revocatae fuerint, quaeque confirmatae pro Regularibus, à Summo Pontifice, indulgentiae. Constitutio refertur num. 7. ejusdem 4. articuli.

XV. Addimus hic decreta nonnulla à Lucio praetermissa. Circa communicationem privilegii altaris, attendendum est sequens Sac. Congreg. indulgentiarum responsum ad generale dubium tertio loco eidem discussum. Ferrar. Bibliothec. Tom. V.

tiendum propositum 5. Februarii. 1748. & 2. Martii ejusdem anni à Bened. XIV. approbatum.

Tertio an privilegium altaris sit communicabile. Ad tertium negativè.

Alterum ejusdem Sacrae Congregationis decretum 19. Maji 1759. ut sequitur.

Ut Christiani fideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum: qui vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione relecti ecclesiam visitaverint, quae indulgentiarum brevibus inserti solent, in Sacra Congregatione indulgentiis, sacrisque reliquiis praeposita discussis die 31. Martii proximi praeteritis nonnullis dubiis, eadem Sacra Congr. fuit in voto, confessionem sacramentalem, quando in brevibus apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati contriti non sunt, necnon praestitam confessionem suffragari etiam posse si expletur in vigilia festivitatis. Quod autem ad ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum operum implementum.

Postquam de his per me infrascriptum, ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione Sanctissimo Domino nostro, Sanctitas sua ejusdem Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Denique Sanctissimus Dominus noster CLEMENS PAPA XIII. praevio voto Sacrae Congregationis indulgentiis, & sacris reliquiis praeposita, indultus die 19. Maji 1759. omnibus ecclesiis parochialibus orbis christiani altare privilegium quotidianum ad septennium quo expleto eadem Sanctitas sua praecipit omnibus Episcopis, Abbatibus, & sede vacante, Vicariis capitularibus, ut supplicent pro unaquaque suarum diocesium Paroecia pro confirmatione ejusdem privilegii ad aliud septennium, idque fieri juvet sub unico tantum brevi, atque vult hoc unicum breve suffragari omnibus uniuscujusque diocesis ecclesiae parochialibus. Ne autem paroecia expensis graveatur, verat omnibus tam Episcoporum, quam Abbatum officialibus, sub poena nullitatis praefati privilegii, ne quidquam penitus exigant à paroecia, sive pro ipsis certiorandis, sive in expediendis literis pro designatione altaris privilegii in eorum Paroeciis.

APPENDIX ALTERA DE INDULGENTIIS

In hac novissima editione addita.

Movet sane congestis Lucius Ferraris, titulo de indulgentiis, ex Casuistarum placitis de prompta doctrina, disciplinam ecclesiae minime consentanea, quibus Romanus Theologus in altera editione sapientissime occurrit, appendice addita ad calcem ejusdem tituli. Enimvero perpendenti mihi ea in appendice nonnulla adhuc desiderari, quae verum ecclesiae spiritum in indulgentiis conferendis, atque dispositionibus, ad eas lucrandas necessarias accuratus explicent, hinc me de publico bene mereri nullatenus ambigendum putavi, si altera appendice ea supplenda assumerem, quae in prima adhuc desiderari videntur. Quae in re nihil me facturum aliud propono, nisi opusculum in Urbe editum ante 1760. cui titulus: De indulgentiis & requisitis praeritum ad eas recipiendas dispositionibus, & catholicae ecclesiae doctrinam in conferendis, & recipiendis iisdem illustratam, veluti in epitomen redigere.

Indulgentia prout hoc loco sumitur, nihil aliud est, nisi relaxatio, aut moderatio extra Sacramentum ab ecclesia facta poenae temporalis, quam divina iustitia exigat à peccatoribus poenitentibus, quibus jam remissa fuerit peccata, & poena sempiterna, quae iis debebatur. Hinc ecclesia, sive supremi ecclesiae pastores tunc indulgentiam concedere dicuntur, cum juxta facultatem sibi à Domino traditam, eas poenas temporarias remittunt, quae, ex divinae iustitiae decreto, poenitentiam lu-

de supersunt, culpa jam deleta. Quanta porro sit poena temporaria, quæ peccato jam remisso respondeat, licet nobis exploratum minime sit; illud tamen pro certo tenendum, gravem admodum esse, eamque peccati gravitati proportionatam. Hoc sensu ac spiritu ducta veteris ecclesie penitentiales canonis constituit, in hoc omnes consentientes, quod poenas gravissimas à poenitente subeundas prescriberent, quorum canonum etiam nunc habenda ratio est, cum S. Carolus Borromeus alique præstantissimi Episcopi, ipsæque Summi Pontif. Innoc. XII. eos edendos, vulgandosque curarint ad Confessariorum & poenitentium directionem.

Ex his canonibus, quos omni prorsus ex parte nunquam abolevit ecclesia, indulgentiarum, quas confert, veluti forma profecta est, ut ex ipsa constat ecclesie praxi, & disciplina in indulgentiis elargiendis. Sicut enim juxta canones pro qualitate peccati injungebatur poenitentia vel quadraginta dierum, vel unius, vel duorum, vel quinque, vel septem, aut plurium annorum, vel etiam totius vite; sic etiam varia ad hunc modum constituta sunt indulgentiarum genera, quæ poenitentia tempus vel contrahabant, vel ab ea penitus absolvent. Nam alia quadragesima est, sive ut alii vocant *carena*, alia *septena*, atque ita de ceteris partialibus, alia demum totalis, aut *plenaria*. Ex qua ecclesie praxi, & disciplina in indulgentiis concedendis illud colligere debemus, sanctissimas illas poenitentiae regulas nunquam fuisse abrogatas, nec pristinum suum omnem amisisse vigorem.

At vero, quamquam juxta tenorem aut statuta canonum penitentiarum ab ecclesia confectorum, concederentur olim, & nunc etiam concedantur indulgentiæ; absit ut cogitemus, eas valere dumtaxat in foro ecclesie, adeo ut non absolvat à poenis, quas Justitia divina à peccatoribus exigit sive in presenti, sive in futuro seculo. Hanc sententiam refutavit S. Thom. q. 25. *supplem. art. 1.* eaque proscripserunt à Leone X. qui sequentem damnavit Lutheri articulum: *Indulgentia hic qui veraciter eam consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debita apud Justitiam divinam.* Hinc cum laudato Angelico Doctore dicimus, quod indulgentiæ *valent, & quantum ad forum ecclesie, & quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residue &c.*

II. His de germana indulgentiæ notione prælibatis, ecclesie catholice doctrinam de præsentis controversia præmittere lubet, in his, quæ sacrosancta Trid. Synodus tum de satisfactione Deo à peccatore exhibenda, cuius quædam relaxatio indulgentia est, tum de indulgentiis ipsis definit. Et ut à priorè ordiamur, agit de satisfactione Sacrum Concilium *sess. præsentim 14. ubi cap. 21* decernit in primis, quod ad eam *novitatem, & integritatem, quam per baptismum acquirimus per Sacramentum Penitentiae sine magnis nostris stribus, ac laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.* Tum vero cap. 3. inter poenitentiae partes *satisfactionem* collocat.

Ubi tandem de hac tertia poenitentiae parte disserens cap. 8. hæc inter alia statuit: *Divinam clementiam docet, ne sita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injuriis, & contumeliosis Spiritui Sancto in deteriora labamur.* Quod Sancta Synodus confirmare pergit tum ex eo, quod hæc poenitentiae opera *secutur via, ut ad omnem veniam imminet à Domino poenam;* tum ex conformitate, quam oportet habere cum Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit. Admonet deinde Sacerdotes pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, *SALUTARES ET CONVENIENTES SATISFACTIONES INJUNGERE, ne si forte peccatis connoceant, & indulgentiam cum poenitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, ALIENORUM PECCATORUM PARTICIPES efficiantur.* Habebant autem præ oculis, ut satisfactio, quam injungunt, non sit tantum ad *novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam, & castigationem, &c.*

Ex his porro Sacri Concilii decretis plura colligere

pronum est, quæ certa, firma, & inconcussa esse debent apud catholicos omnes; atque illud in primis satisfactionem unam esse ex tribus sacramentis Penitentiae partibus, saltem quoad animi preparationem, necessariam omnino ad reintegrandam amicitiam cum Deo offenso & reparandam injuriam ipsi pro peccato illatam.

II. Satisfactionis hujusmodi necessitatem ex ipso divino jure desumi. Hoc enim nitidissime constat ex verbis Concilii illis: *divina id exigente justitia.*

III. Satisfactionem hanc necessariam omnino esse, nedum ad *novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam, & castigationem;* atque adeo proportionem aliqua respondere debere numero, & qualitate criminum.

IV. Denique non esse in arbitrio ministrorum ecclesie poenas hæc satisfactorias ad libitum remittere, vel recuperare; sed ad eas pro qualitate injungendas obstringi divino præcepto. Non enim id Concilium solummodo consultit, sed expresse præcipit, sive potius colligit ex Jure divino: *debent ergo Sacerdotes Domini &c.*

Hæc omnia certissima sunt, atque extra disputationis aleam posita. Verum ad decretum alterum Concilii proferendum, quod indulgentias spectat, gressum faciamus.

Decretum hoc habetur sessione 25. cap. ubi. ubi Concilium ita loquitur: *«Cum potestas conferendi indulgentias à Christo ecclesie concessa sit... sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet, ac præcipit... In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, ac probatam in ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepsit, &c. emendatos, & correctos cupiens, præsertim decreto generaliter statuit &c. omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde supervenerunt &c. mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus ecclesie suæ colligat &c. ut ad summum Pontificem deferantur, cujus auctoritate, & prudentia quod universali ecclesie expediat, statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, & sancte, & incorrupte omnibus fideliter dispensetur.»*

Sancta igitur ecclesia ab ipso Christo Domino potestatem accepit conferendi indulgentias.

2. Definit Sacrosancta Synodus, indulgentiarum usum utilem esse populo christiano, maximeque salutarem. Hinc certi fideles esse debent, firmiterque confidere, quod, modo debitis cum dispositionibus indulgentiam recipiant, profutura sibi sit, nedum in facie ecclesie, sed etiam coram Deo.

3. Concilium præcavere studet abusus, qui in concedendis indulgentiis, ac etiam recipiendis obrepere facile possunt: atque adeo in earum dispensatione moderationem adhiberi cupit; juxta veterem, ac probatam ecclesie consuetudinem; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Hæc est disciplina poenitentiae, sive satisfactionis pro commissis delictis, quam enervari Concilium timet nimia indulgentia, conferendi facilitate, nimiaque, quam rudiores sæpe concipiunt fiduciam obtinenda salutis via ac facilliore, atque suaviore. Cum autem duplex questio excitari possit, quarum altera indulgentiam spectat ex parte conferentis, altera ex parte suscipientis, idcirco de priorè in antecessum disseramus oportet.

III. Illud ergo pro certo statuendum tamquam ecclesie doctrinam, ad indulgentiæ valorem, præter auctoritatem in conferente, requiri piam, ac juxtam conferendi causam. Adde juxtam, & rationabilem causam esse non posse, nisi proportionata quadatenus sit indulgentiæ quæ confertur. Rationabilem autem causam semper adesse præsumendum est, nisi aliud nimicum evidenter constet.

Primum assertionis partem, quæ in confesso est apud omnes, isdem ferme momenti confirmo, quæ proferunt Cardinal. Bellarminus, Pater Gabriel Antoi-

ne, alique. *Primum hoc est, quoniam* (inquit Bellarminus lib. 1. de indulgentiis cap. 12.) *poena expianda est jure divino. Non potest autem Summus Pontifex sine justa causa dispensare in iis, quæ aliquo modo pertinent ad jus divinum: quoniam minister Dei est, non Dominus. Quam rationem proponit insignis alter, ac primarius Summi Pontificis in Concilio Tridentino Theologus Petrus de Soto lectione 2. de indulgentiis. *Thesaurus, unde indulgentia dantur, non est in manu Pontificis, ut pro suo libitu, cui vult donet efficaciter: sed apud Deum reconditus est... quæ re indulgentia, ut ex parte conferentis sit efficax, sive valorem obtineat, talis sit oportet causa conferendi, ut verosimiliter probatur à Deo.**

Demum neque ipsi Summi Pontifices talem in se potestatem agnoscunt, ut indulgentias sine juxta causa concedere valeant. Nam Clemens VI. in extravag. *Unigenitus* expresse proficitur thesaurum ecclesie æ lege Petro, ejusque successoribus fuisse conceditum, ut eum non nisi pro *piis, & rationabilibus causis dispensent* adeo ut quemadmodum ipsemet exponit, ex hac dispensatione *Fiduciam augetur devotio, fides splendet, spes viget, & charitas vehementer incalcescat.*

Verum hæc ita certa sunt, ut nec in controversiam adduci queant. Quod in disputationem vocatur illud est, an scilicet quilibet pia causa sufficiat ad indulgentias valide conferendas, an verò requiratur ulterior proportio aliqua operis injuncti cum ipsa indulgentia. Partem priorè docuerunt olim nonnulli, quos inter refertur etiam S. Thomas, sed plane immerito. Posterior autem communior est, tum apud veteres, tum apud recentes doctores, quem ego quoque defendo.

Hæc ut magis explicetur, duo præsertim observo cum Bellarmino: primo scilicet ad causam justam, ut plurimum duo requiri, nempe finem aliquem pium, Deoque gratum, cujus assensu Deo magis placeat, quam satisfactio poenitentialis, quæ per indulgentiam relaxatur. Ulterius operis aliqui finem assequendo proportionatum sit oportet. Nam licet finis Deo valde placeat, si tamen per opus injunctum congrue obtineri non possit, non videtur justa causa concedende indulgentiæ: ut si verbi gratia, plenaria indulgentia dispensetur iis, qui precatunculum aliquam recitant pro hæreticorum conversione, causa, inquit pius Cardinalis, non videtur justa, quoniam, licet conversio hæreticorum res sit maxima, & Deo gratior, quam poenitentialis satisfactio multorum fidelium; vis tamen conferri ad illum finem obtinendum brevissima oratio.

2. Observo ex eodem, omnes in eo convenire ad causam proportionem non requiri (ut ait P. Antoine tractatu de indulgentiis, questione 8.) ut opus injunctum sit ita de se satisfactorium, ut per se plane compenset, & solvat debitum poenae. Nam tunc nulla fieret remissio per indulgentias, & sic indulgentia foret prorsus inutilis.

His animadvertis, prima nostræ, & communis sententiæ probatio desumitur ex Cardinali Cajetano capite 8. tractatu de indulg. cujus de indulgentiis doctrinam Raynaldus ad annum 1517. & seq. ubique proponit tamquam doctrinam ecclesie catholice: *Dispensatio, inquit, thesauri celestis credita Petro, ejusque successoribus, imitari debet dispensationem factam ab ipso Christo. Constat autem, quod Christus eundem thesaurum dispensat commensurate; juxta concurrentes conditiones causarum mediarum... ergo ipsius Vicario commensuratum quoque applicationem dicti thesauri creditam esse rationabile est.*

Alter probatio hæc est ab eodem eminentissimo Auctore paucis hisce verbis propositis: *quia, inquit, constat Prælatos omnes ecclesie non nisi Ministros, & Dispensatores esse. Tota igitur eorum potestas supra thesaurum ecclesie infra limites dispensationis potentie clauditur.*

Atque hic 3. alia probatio subnascentur. Nam juxta Doctores omnes ad indulgentiæ valorem in conferente requiritur justa, & rationabilis causa. Justa autem, & rationabilis ea reapse vocari nequit, quæ nullam habet cum effectu proportionem: planeque pervertunt vocabulorum vim qui justam causam requirerent, pro quocum-

que etiam levissimo opere indulgentias quaslibet valide concedi posse contendunt.

Probatio 4. congrua nititur paritate: eodem nempe modo loqui par est de dispensatione indulgentiarum, ac votorum. At juxta communiorè sententiam dispensatio in votis facta sine gravi causa, quæ gravior Deo sit, quam voti ipsius adimpletio, judicatur invalida. Igitur hoc ipsum de indulgentiarum dispensatione sentiendum.

Tandem in Concilio Lateranensi 4. plures indulgentiæ repudiate fuere veluti *indiscrete, & superflue*, adeoque inutiles. Cur autem indiscrete, & superflue dicte sunt? Num quia nullum pium finem earum concessione Prælati apposuerint? Quis hoc sibi persuaserit? Dicendum igitur illud est, causam quidem piam aliquam extitisse, sed non proportionatam indulgentiis distributis.

IV. Gravior modo, eaque summi momenti controversia accurate discutienda succedit de dispositionibus requisitis ex parte recipientis Indulgentias, ut effectum pro quo conferuntur, obtineant, solvantque à poenarum temporalium debito culpa jam dimissam. In hoc plures graves Theologi conveniunt, ut infra clarius fiet, quod præter statum gratiæ, & executionem operis injuncti, quod exiguum non esse solet, dum indulgentia præsertim generales conferuntur, requiratur etiam ex parte suscipientis tamquam conditio prorsus necessaria saltem ad plenam earum assecutionem, sincerum & efficacem propositum, ac sollicitudo satisfaciendi juxta vires Deo pro peccatis, ferendique fructus dignos poenitentiae, facultati, ac infirmitati cujusque accommodatos: adeo ut ex proportionem hujus sollicitudinis, ac devotionis etiam, pietatis, & charitatis fervore, quibus poenitentiae opera peraguntur, major, minorve percipiatur indulgentiæ fructus, sive remissio temporalium poenarum divinæ justitiæ debitum. Hæc est paucis exposita verbis hæc de questione sententia, quam tum veteres omnes tradunt, tum plerique recentiorum, qui rem hæc accuratius discussere, secundum ea principia quibus dirimendæ sunt theologicæ controversiæ, & quam esse contendendo catholice ecclesie doctrinam: quod nemo arroganter à me dictum existimet; idem quippe longe ante jam asseruit Cardinalis Baronius, cujus alibi opportunitus referuntur verba. Interim verò audite non piget Eminentissimum alium Purpuratum.

Is est Cardinalis Denhoffius, qui in sua celebratissima instructione pastorali de Penitentia tot in linguis conversa, & Sedis Apostolice auctoritate probata, ita scribit in rem nostram: *Mens ecclesie in dispensationis indulgentiis, hæc quidem est, nempe filius suis beneficiis indulgentia operi ferre, ut poenæ debitum extolant, cui solvendo imparet sunt... Sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos poenitentia fructus facere jubet, neque desides reddere, aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ tantopere, & in scriptis Scripturis, & à Sanctis Patribus communitata sunt, sedulo exerceant. Ideo Concilium Tridentinum tradidit, nusquam esse in ecclesia sentiam tutorem... quam ut crebro quis in hujusmodi operibus poenitentia agendis occupetur... Hanc ecclesie mentem multoies indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum literis, quibus eas impertiri se verè poenitentibus ajunt, his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relaxandi, & voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Quam lapsus ad hunc modum animo est comparatus, & suis partibus sedulo desungitur... Ecclesia, veluti pia mater, in auxilium occurrit, ut indulgentiæ beneficio quod restat debiti, solvat... Hinc usu venit, ut plena indulgentia non omnibus, qui exuto peccandi affectu, præscriptas condiciones adamussim præstiterunt, ex esse cedat in plenam solutionem. Quod subinde roborat auctoritate S. Bonaventuræ, ac Summorum Pontificum Bonifacii VIII. & Innocent. IV. Quibus, subdit, satis indicant plena indulgentia consecutionem quemque fieri participantem, tum secundum modum operum poenitentia, quæ fecerit, tum secundum pie devotionis fervorem.*

Ex his facile quisque colligere valet, in quo sita sit indulgentiarum utilitas.

V. Ab ea discutienda sententia omnino abstinere statui, quæ in hoc est posita, quod major, minorve percipiatur indulgentiæ fructus juxta gradum actualis charitatis Dei, fervoris, pietatis ac devotionis, quibus perficiuntur opera injuncta in indulgentiarum largitionibus, quamque defendunt Adrianus VI. Cardinalis Palavicinus l. 2. cap. 3. *Hist. Concil. Trid. S. Bonavent. Richardus, Gabriel, Major, Gerson, Innocentius, ac Felinus*, omnes à Pallavicino citati, quibus addit Cajetanum, Nalem Alexandrum, aliosque complures. Hic dumtaxat vindicare, ac comprobare sententiam nostram aggrediar sub iis terminis, quibus frequentius à sanis Theologis defenditur: requiri videlicet ex parte subjecti ad indulgentias lucrandas, præter statum gratiæ, propositum sincerum & efficaciter satisfaciendi Deo pro peccatis: propositum, inquam, sincerum & efficaciter, quod nempe in actus convenientes prodeat juxta vires, ac facultatem subjecti, aliasque, quæ occurrere possunt, ac solent, circumstantias.

Hanc sententiam, quam ut ecclesiæ catholicæ doctrinam propugno, probo imprimis argumento ex scripturis ducto, quod ita proponit Antoine cap. 14. de indulgentiis. *Exat divinum præceptum faciendi dignos fructus penitentia, hoc est opera pia, & penitentia, que satisfacere valeant pro peccatis, ut explicat Concilium Tridentinum, à quo præcepto ecclesiæ dispensare non potest. . . . Et idem Concilium sess. 14. docet, generaliter penitentiam Christiani lapsi præter contritionem, & confessionem necessario continere satisfactionem per jejunia, elemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vite exercitia, &c. Ita ille.*

Hoc argumentum sic proponere præstat. Jure divino in sacris libris asserto constitutum est, ut penitentia, reatu culpe remisso, reatus penæ temporalis remaneat luenda sive in hac vita, sive in alia juxta ejusdem gravitatem, & meritum. Hæc propositio ita certa est, ut si quis eam inficietur, jam inter heterodoxos recensendus videatur, quæ confirmare placet sententia S. Caroli, qui in sua confessa. instruat. ita ait: *Sacra litera ab iis qui penitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos penitentia faciant, atque ad Dominum convertantur in jejuniis, fletu, & planctu.* Hæc igitur major propositio certissima est. Ad minorem venio: Sed quod divino jure constitutum est, firmum, & constans sit oportet, nec ab auctoritate ecclesiæ solvi potest ulla indulgentiarum largitione, siquidem nulla gaudet ecclesiæ potestate supra jus divinum, quod declarare quidem valet, nullatenus verò solvere, vel abrogare. Igitur peccator per indulgentias non eximitur ab hac obligatione satisfaciendi Deo operibus hisce penalisibus.

Confirmatur, magisque urgetur hoc argumentum. Certum apud omnes est, ecclesiam thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum dispensare non posse contra ejus voluntatem. Ejus porro voluntas esse noscitur, ut dignos penitentia fructus faciamus, & quidem dignos, hoc est juxta criminum qualitatem, & numerum fructus autem penitentia quinam præsertim sunt? Aut in quo consistent? in congruis penalis satisfactionis operibus ex quibus etiam penitentia nomen sumpsit. Ita exponunt hunc textum, similesque alios sancti ecclesiæ Patres, & præ reliquis S. Thom. *quodl. 3. quest. 12. art. 28.* Unde inferendum est, indulgentias ab ecclesiâ collatas non extinguere debentur à peccatoribus contractum faciendi fructus dignos penitentia, prout suppetunt vires, neque eas lucrari, qui id præstandi sincero carent, & efficaci proposito.

VI. Si consulamur ecclesiæ praxim, atque disciplinam ad Apostolos usque perducam, clare deprehendimus, in ea semper usum viguisse penarum congruas exigendi à peccatoribus pro suorum qualitate delictorum conjunctas cum indulgentiis. Atque ut ab Apostolis ipsis ordiamur.

Primum indulgentiarum exemplum præbet Apostolus, qui ex auctoritate sibi à Christo collata, remissionem quidem penæ flagitioso Corinthio clementer indulsit, & indulgentiam edixit; sed nonnisi post diuinam delicti sui penitentiam, ut ex textu evidenter eruitur, & ne abundantiori tristitia absorbeat, ut inquit Apostolus.

Crescente ecclesiâ christiana, celebres canones, qui penitentiales dicuntur, confecti sunt ecclesiæ spiritum nobis exhibentes in imponendis pro quolibet peccato gravissimis penis, quas tamen moderari solebant Episcopi, (quod perinde erant ac indulgentiam tribuere) sed nonnisi ob justas ac rationabiles causas, & penitentium fervore in iis subeundis, aliisque circumstantiis accurate pensatis. Atque hæc, ut advertit S. Cyprian. l. de lapsis, generatim tunc temporis erit ecclesiæ praxis, & disciplina, ut Episcopi prius probarent lapsorum penitentiam, lacrymas, jejunia, &c. ac tum demum absolutionem à peccatis simul & indulgentiam impertirent. "Si precem (verba sunt S. Episcopi) toto corde faciat, si veris penitentibus lamentationibus & lacrymis ingemiscat, nisi ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis precibus inflectat. . . . roganti potest clementer ignoscere" (Episcopus) potest acceptum referre, &c."

At audire præstat Ecclesiam Romanam, ut omnibus liqueat, quam semper hæc omnium ecclesiarum mater tenax primæve discipline. Hæc consulta à S. Cypriano, reposit. *Quid in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debita severitatem divini vigoris? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret, necesse est. . . . Abiit ab Ecclesiâ Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis reversa fidei majestate dissolvere, ne properata nimis remedia, utique non profutura, præstentur, & nova per misericordiam falsam veteribus vulnera imprimantur. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si medicus interrupta penitentia indulget periculis? Hoc non est curare, sed occidere. . . . Pulsent fores (penitentem) adeant ad limina ecclesiæ, castorum celestium excubent portas, resumant precum suorum tubam."*

Verum alios afferamus hujus traditionis testes. Eusebius lib. 6. *Hist. cap. 48.* refert, post Decem persecutionem plura coacta fuisse Concilia, omnesque Episcopos in hanc convenisse sententiam, indulgendum quidem esse, sed nonnisi iis, quorum penitentiam satisfactioni proximam conspexerint.

Longa ultra quàm par est mea evaderet oratio, si canones omnes à Conciliis præsertim recensere vellem. Unum vel alterum Lectorum oculis sisto. Concilium Nicænum l. cap. 12. de indulgentia impertienda relapsis ita loquitur: "Quicumque metu, lacrymis, patientia, & bonorum operum studio conversionem opere ostendunt, hic definitum tempus auditionis implentes, merito orationibus communicabunt: postmodum verò licebit Episcopo humanius aliquid de iis cogitare" quod perinde erat ac indulgentiam elargiri.

Ecumenici Concilii statuto morem gessit Synodus Aurelianensis 2. decernens penes Episcopum facultatem esse moderandi penitentiam injunctam, si penitentem ex animo errorem desere, & agere penitentiam videret.

Innocentius I. qui sub initium seculi 5. Petri sedem obtinebat, praxim Ecclesiæ Romanæ in indulgentiis conferendis exhibet, asserens hanc non esse à Sacerdote conferendam, nisi cum viderit congruam satisfactionem. Eadem disciplina vigeat in Africa, ut constat ex can. 75. & 76. Conc. Carthag. an. 425. celebrati.

Ne sim prolixior, paucis perstringam alia, quæ sequentibus seculis hæc de re constituta fuerit. S. Basilii in epist. ad Amphilochoium testatur, se indulgentias concedere iis tantum, qui vitam misericordiam dignam ostendunt, qui penitentia fructus montent, Concilium Aurelianense an. 541. præscribit Episcopis, ut indulgentiam cum penitentibus, cum eos viderint dignam penitentiam agere. Nicolaus I. anno 860. rigidam penitentiam magno peccatori injunctam mitigandam edicit, si ejus conversionem, & lacrymarum fontem floridis actionibus, & optimis operibus pullulare constiterit. Concilium Salegustadiense an. 1022. c. 18. quia multi confisi indulgentiis, quæ Romanæ penitentibus concedebantur, penitentiam agere recusabant, aperte eis monuit, talem indulgentiam illis non prodesset, nisi prius juxta modum delicti sui datam tibi penitentiam adimpleverint.

Verum quid pluribus opus est? Cum ex ecclesiastica historia compertissimum sit per decem secula non nisi indulgentias parciales concessas fuisse; postmodum vero plenarias elargitas non nisi pro operibus quam maxime arduis, ex gr. pro bellis gerendis in longissimis regionibus? Quare mirum esse non debet Sanctum Thomam docuisse aliam tunc temporis requisitam non fuisse ab illis penitentibus satisfactionem: quoniam, quæ assumebant ipsi laboriosissima opera, cedere utique poterant in locum satisfactionis.

Colligamus itaque ex his omnibus traditionem ecclesiæ de indulgentiis cum satisfactione pro peccatis congrua necessario conjungendam.

§. 7. Ut liquido constet, eundem, quem hæctenus ostendimus, immobilem in ecclesiâ catholica semper permansisse spiritum, nullo alio aptiore uti possumus argumento, quam quod ex ipsa deducitur omnium ecclesiarum capite, Ecclesiâ nimirum Romanâ, quæ nullam nobis de sententia sua relinquat ambigendi locum. Quare testimonia referam nonnullorum Summorum Pontificum, quæ in rem nostram potiora videntur.

I. Testimonium sumitur ex rescripto Gregorii VII. Episcopo Lincolniensi indulgentiam pro peccatis suis petenti dato. *Aboluitones*, inquit, peccatorum tuorum, auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Pauli tui, tibi mittere dignum duximus: Si tamen bonis operibus inherendo commissos excessus piangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Dei mundum templum exhibueris. In quem textum peculiari digna consideratione sunt, quæ subdit Baronius ad annum 703. inquit: "us apparat, Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt."

Gemina docent Urbanus II. & Gelasius item II. Primum enim indulgentiam concessit an. 1094. plenariam Crucisignatis pergentibus ad Terræ sanctæ liberationem: sed tamen præscripsit, ut illud iter laboriosissimum pro penitentia susciperent. Alter vero an. 1115. eandem confirmans indulgentiam adjecit: *Quoniam vos ipsos & vestra extremis periculis obicitis.*

Innoc. III. in Concilio Lateranensi decretum edidit, quo potestas coerceretur Episcoporum in indulgentiis conferendis. Rationes assignantur, quod nempe per indisciplinatas & superfluas indulgentias & claves ecclesiæ contemnantur, & penitentialis satisfactio evanescat. Mens proinde Summi Pontificis fuit, ut penitentialis satisfactio, quæ laboriosis admodum operibus tunc etiam peragi consueverat, nullo pacto pro indulgentiis relaxaretur.

Bonifacius VIII. in bulla pro indictione Jubilæi hæc habet: "Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit."

Eadem veritas comprobatur ex formulis, quas adhibere solent Summi Pontifices in concedendis indulgentiis. His etenim, aliisque plerumque utuntur similibus verbis: ut fideles redimant sua peccata operibus penitentia: ut jejuniis, orationibus, ac elemosinis iram Dei placent. Id patet ex bullis S. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Urbani VIII. & Alexandri VIII. Quod ulterius exprimunt per illam particulam *vere penitentibus*, quæ nedum hominem contritum indicant, verum etiam illum, qui satisfacere satagit pro commissis delictis, ut optime ostendit Cardinalis Denofius in laudata sua pastoralis instructione.

Quod etiam magis magisque constat ex conditione apposta in bullis Jubilæi, nimirum *injuncta pro modo culpa penitentia salutari*. Quæ sane Summorum Pontificum mentem clare aperteque ostendunt, scilicet indulgentias plenarias minime lucrari, qui penitentiam culpæ commensuratum pro viribus non implet.

Verum præ ceteris omnibus splendidissima sunt tot hujus rei testimonia à duobus edita Summi Pontificibus. Primum est Innoc. XII. qui pro Jubilæo instanti an. 1700. hanc de argumento nostro Instructionem edendam curavit. En ejus verba seria animi consideratione pensanda. *Proponatur fidelibus utilitas, quam ex*

magna hac indulgentia consequantur. . . . modo divina gratiæ condigna satisfactione cooperetur. *Docetur populus, quod licet sacramento Penitentia culpa, & æterna pena remittatur; nihilominus, post remissionem delictorum, debium temporalis penæ, adeoque grave onus satisfactionis remaneret, quod copiosius elemosinis, rigorosis jejuniis, ac difficilibus operibus penitentia, ut tempore veterum fervidorum christianorum factum esse liquet ex canonibus penitentibus, aut horrendis penis Purgatorii solvi deberet. Cum vero talia sufferre humane infirmitati nimis grave foret; ideo Vicarius Christiani tales satisfactiones per indulgentias minuit.*

At plane decretorium est, quod suppeditat testimonium Bened. XIV. in suis Literis de præparatione ad annum Jubilæi 1750. in quibus versus finem prolixum sermonem habet de indulgentiis, quem; in tædio Lectores afficiantur, in pauciora redigam: *Illud vero (verba ejus sunt) tum nobis, tum aliis, qui nostro loquentur nomine, cura erit, ut clausula illam, quam bulla nostra inserimus, fidelibus vere penitentibus &c. vis, & significatio probe intelligatur. Illud idem res, atque exemplis demonstrabimus, quam futilis, atque inanitas sit illorum sententia, qui à Catholica Communione extorres perperam asserunt indulgentiarum usum penitentiam imminui, aut etiam de medio tolli. Hinc mentionem faciens de Instructione à se edita in Archiepiscopatu Bononiensi: In hac inquit, Instructione universum diocesis nostræ populum monuimus, & hortati sumus, ut occasione indulgentiæ plenariæ, quam prædecessor noster Clem. XII. promulgaverat, injunctis operibus alia pietatis opera superaddiderit, ac dignos penitentia fructus faceret, aureo illo Ven. Card. Bellarmini documento ex tom. 2. *Controvers. l. 5. cap. 12.* Sic accipiunt prædentes Christiani Pontificias indulgentias, ut simul etiam student dignos penitentia fructus ferre, & pro suis peccatis Deo satisfacere. Sed & illud adjecimus, quod Cardinalis Pallavicinus in *hist. Concil. Trid. lib. 4. cap. 12. num. 6.* adnotavit, falsam nimirum esse illorum sententiam, qui affirmant, Christianos propter indulgentiarum usum desider fieri, atque à satisfactione, qua Deo criminum nostrorum vindicta præstanda est, avocari. . . . Hæc omnia iis affinia sunt quæ & nos supra inculcavimus, monentes, ut præter opera, quæ præcipiuntur, alia christifideles exerceant pia opera, quæ spiritui ac votis ecclesiæ consona sunt &c.*

§. 8. Adductis jam Summorum Pontificum disertissimis testimoniis, superfluum videri potest alios adungere. Nihilominus non abs re futurum arbitror, si cursim saltem nomina potius, quam testimonium nonnullorum recitem Clarissimorum in ecclesiâ Virorum, aliis omissis. Floruit sec. XV. Cardinalis Cusanus: Hic, dum per Germaniam sedis Apostolicæ Legati fungeretur officio, synodum in Belgio provinciam coegit anno 1445. ubi inter alia declarandum curavit, *idcirco dari indulgentias, ut ecclesiæ de thesauro (Christi) supplet, quod homo pro digna satisfactione sentit sibi deesse, quia multis obnoxius criminibus, dignam agere penitentiam vix poterit, eo quod pro uno peccato mortali jam septennis penitentia agi debet.*

Quod idem senserit Cajetanum nullus ambigit, qui etiam videtur in nimium rigorem delapsus. At certe legitimam de indulgentiis sententiam secutus est S. Carolus, qui penitentiales antiquos canones edidit, & in anno Jubilæi 1575. quid agere deberant Romam petentes ad illud lucrandum, præscripsit his verbis: "Non videtis satis debet esse, quod Urbem Romanam, ac ecclesias, & Reliquias Sanctorum visendas adieritis; sed huic quoque vestram, & perfectam penitentiam adjungere debetis."

Suffragantur sententiæ nostræ Theologi Conc. Trid. quorum scripta supersunt. Suffragantur Cardines Baronius, Bellarminus, Denhoffus jam laudati, Stephanus Cardinalis le Camus, vir non minus vitæ sanctimoniam, quam doctrinam conspicuus: Benzonius Episcopus Lauretanus, Franciscus Cajetanus Incontri Archiepiscopus Florentinus, Joann. Bragadinus Patriarcha Ven-

neturam. His accedit tota Gallicana Ecclesia, cujus Episcopi doctrinam nostram veluti unice certam, ac tutam tradiderunt, quorum agmen ducit magnus, & nunquam satis laudandus Jacobus Benignus Bossuetius Episcopus Meldensis in sua instructione de indulgentiis. Quis omnibus istis præferre audebit aliquos Casuistas diversimode opinantes? Adde Theologos alicujus nominis nostræ sententiæ subscribere, ex quibus supra sexaginta recenset Amort in suo de indulgentiis tractatu.

§. 9. Præstat hic adtexere rationes aliquas, quarum prima sit: Mens ecclesiæ est, ne per indulgentias disciplina ecclesiastica poenitentiae relaxaretur: At posito quod ad indulgentiam lucranda non requiratur saltem desiderium efficacis Deo satisfaciendi per opera poenitentia, jam pro quibuslibet peccatis leviores, atque etiam levissimæ injungi valerent poenitentiae, vel nullæ etiam, ut Casuistarum nonnulli contendunt, dummodo poenitentes indulgentias se recepturos promitterent.

Hujus affinis est altera ratio, scilicet, quod si hæc foret indulgentiarum vis, ut etiam is, qui sincero carere proposito satisfaciendi Deo, poenam omnem remitterent, foveretur hominum negligentia, lique tamen indulgentibus peccatorum debitis prægravati, desiderioses fierent in agenda poenitentia, quam sane non esse ecclesiæ mentem, nemo non videt.

Tertiam rationem ita proponit Cajetanus. "Nullus indignus aliena satisfactione pro pena sibi debita consequitur veraciter fructum indulgentiæ. Sed quilibet negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pena sibi debita: ergo nullus negligens satisfacere per seipsum acquirit fructum indulgentiæ."

Quarta ratio ab eodem Cajetano verbis hisce proponitur: "In quolibet bene ordinata republica, quantumcumque rationabilis, adesse quandoque causa dispensandi communem thesaurum in civis gravatos ære alieno, negligentem tamen solvere, indigni censentur adjuvatores thesauri... Cum igitur ecclesia sit à Deo ordinata: æquum non est, ut spiritualis dispensatione thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeantur."

Quinta ratio, quæ præcedentem amplius confirmat, hæc est: Sancti Ecclesiæ Patres in ea semper persuasionem fuerunt, noluisse Christum Dominum applicari ab ecclesia fructum passionis suæ peccatoribus post Baptismi lapsis sine propria ipsorum satisfactione. Igitur ecclesia non habet potestatem per indulgentias sic applicandi fructum passionis Christi, ut cesset studium ac sollicitudo satisfaciendi juxta uniuscujusque vires.

Tandem, ut alias missas faciam rationes, argumentum subijcio quod mihi semper visum est ad persuadendum omnibus apertissimum: videlicet, quod veritas, quam defendimus, quædam sit velut insita fidelium mentibus, atque insculpta sententiæ; siquidem quid causa est, cur veri poenitentes, intime sentiant se debitores pro peccatis suis divinæ Justitiæ, atque ex hoc intimo sensu promoveantur ad exercenda impigre poenitentiae opera, quamquam bene noverint apertum esse in ecclesia thesaurum meritorum Christi, & indulgentias lucrari studeant?

Nonne persuasum est omnibus gravissimis obnoxios esse purgatorii poenis eos, qui non peccata poenitentia decesserunt à vita, licet pie obierint, & plures indulgentias in mortis articulo susceperint: unde sacrificiis, orationibus, elemosynis solari satagimus? Cur tantopere Ascetæ in libris, Confessarii in sede sua, Sacri Oratores è suggestibus hortantur, imponunt, denotant faciendos esse poenitentiae fructus, nisi ex penitentiore quadam persuasione, indulgentias ex benignitate ecclesiæ collatas prodesse quidem plurimum, sed quidem non nisi ex posita conditione, quod poenitentes, quantum suppetunt vires, Deo propriis operibus satisfacere studeant?

§. 10. Ex tradita doctrina varia derivantur Corollaria. Primum, ut verbis utat Antoine: Ex dictis requiritur, ad lucrandas indulgentias requiri hæc conditiones: ex parte recipientis. 1. ut sit subditus concedentis... 2. ut immunis sit ab excommunicatione majore...

ri... 3. ut sit in stata gratia (saltem dum ultimum opus injunctum perficitur)... 4. ut opus omne injunctum saltem moraliter totum, & integre implatur... Quibus omnibus merito additur à multis propositum satisfaciendi Deo per opera bona satisfactoria &c.

Corollarium secundum. Liquido constat, falsam esse quorundam opinionem, qui censent nullum percipi fructum ex indulgentia puta plenaria, si tota & integra non recipiatur. Nam ut alia plura omittam, Bonif. VIII. in bulla Jubilæi aperte testatur, quod unusquisque plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicam amplius, & frequentius frequentaverit; Quod clarius exprimit Innoc. IV. in cap. Quod autem, de poenitentia: nec non S. Thomas sup. q. 25. art. 2. ad 3. & S. Bonavent. in 4. dist. 202. quest. ult.

Corollarium tertium. Ad percipiendum integrum fructum indulgentiæ plenariæ animus suscipiens liber esse debet ab omni affectu conjunctumque vel levioris peccati: alioquin non integre, sed partialiter dumtaxat indulgentiam consequetur, si tamen aliæ conditiones non desint. Ratio evidens est: quia in omnium sententiæ relaxatio pene supponit culpam remissam: hæc nunquam remittitur, nisi animus ab ea sit adversus.

Corollarium quartum. Consequitur etiam ex dictis, nihil, vel parum prodesse indulgentiam illis, qui cum vitam omnem transigant in vitiis, & peccatis, sacramento poenitentiae recepto sibi persuadent, se ab omni poenâ reddere immunes, mediis quibusdam præcationibus, quas recitare non omittunt pro consequenda aliqua indulgentia; & interim nullum studium impendant, ut juxta vires suas Deo satisfaciant laboriosis operibus à vere poenitentibus requisitis.

Corollarium quintum. Christiani omnes, sique præsertim qui plura commiserè gravia flagitia, solliciti esse debent in conjungenda poenitentia cum indulgentiis, quatenus utroque medio divinæ Justitiæ securus satisfaciunt. Hoc est aureum illud Bellarmini documentum: nempe nititur quidem est, ac tutius pro se satisfacere, quam indulgentias querere: sed utroque utitur est illud facere, & istud non omittere.

(Insequendo inchoatum ordinem, ut quid versus hanc materiam in patris legibus dispositum sciat, etiam indulgentiarum leg. 45. tit. 4. part. 1. fieri mentionem, animadvertitur: dupliciter considerantur: quædam sunt quæ vere poenitentibus, & sua contentibus peccata conferuntur: aliæ vero, quæ per Summum Pontificem, Archiepiscopos, & Episcopos conceduntur: ubi vis terrarum ab illo possunt concedi: ab hisce sua quilibet diceces: in horum concessione dies quadraginta signantur, sed in ecclesiæ consecratione annus integre quantum expressum, concessum: remittuntur, & detentur peccata nostra, si poenitentiam egerimus: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis, virtute potestatis à Deo concessæ. Per leg. seq. 46. ejusd. tit. & part. quid prosint indulgentiæ, designatur: ad poenæ remissionem post tres actus poenitentis in hoc seculo, seu in purgatorio adimplendam, vere contritis, & confessis (vid. add. hisp. verb. Jubilæum) proficiunt: magna est Dei misericordia: omnes vult salvos fieri, etsi adimpleri injuncta poenitentia non potuissent. Vide, nam ad rem multum proderit glossæ ad prædictas leges D. Gregor. Lopez. Quomodo publicandæ, & exequendæ indulgentiæ in hoc opere continentur. Recognoscere verb. Confraternitas, in add. hisp. verb. Antequam.

INFAMIA, INFAMIS.

SUMMARIUM.

1. Infamia quid sit: Fama quid sit: Infamia est duplex, Juris, & Facti, & quæ sit utraque: Infamia Juris dupliciter contrahitur, scilicet ipso Jure, & Facto, & per sententiam Judicis, ad n. 4.

- 4. Jure, & Facto, & per sententiam Judicis, ad n. 4.
5. Assignantur, qui contrahunt infamiam ipso Jure, & Facto de Jure civili.
6. Assignantur, qui contrahunt infamiam ipso Jure & Facto de Jure canonico.
7. Infames Jure civili sunt etiam infames Jure canonico.
8. Nisi aliquam infamiam Jure civili introducam canonice speciatim sustulerint, ut fuit de facta rubrica infamiae, quæ erat decreta mulieribus intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus.
9. Assignantur, qui contrahunt infamiam Juris per sententiam Judicis.
10. Ad hoc, ut condemnati à Judice dicantur infames, requiritur quod sententia infamatoria non sit suspensa per appellationem, sed jam transierit in rem judicatam.
11. Referuntur summam omnes infames, sive infamia Juris, sive infamia Facti.
12. Infames tam infamia Juris, quam Facti sunt irregulares, & ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur.
13. Infames tam Juris, quam Facti excluduntur à dignitatibus, & honoribus præterim ecclesiasticis.
14. Infames tam Juris, quam Facti excluduntur ab actibus legitimis, & publicis muneribus.
15. Electio facta de persona infami, seu collatio beneficii, sive secularis, sive Regularis facta infami infamia Juris lata sententiæ, est ipso facto irrita.
16. Sic etiam, si quis infamis eligatur, seu provideatur post sententiam declaratoriam eriminit, cui annexa est infamia ipso Jure, electio, seu provisio est ipso Jure nulla.
17. Si autem infamia sit tantum Facti, quomodo sic infamis non debeat eligi, nec provideari, ejus tamen electio, seu provisio non videtur ipso Jure irrita, sed irritanda.
18. Multi tamen volunt etiam ipsam esse ipso Jure nullam.
19. Ob delictum occultum nulla contrahitur infamia neque Juris, neque Facti.
20. Immo variis volunt infamiam non incurri, quando delictum, propter quod ipso infamia eo ipso irrogatur, est occultum, nisi accedat sententia declaratoria.
21. Infamia ipso Jure, vel per Judicis sententiam con-

- tracta, non tollitur per poenitentiam, sed per dispensationem Principis, cujus auctoritate infamia decreta fuit.
22. Infamia Facti poenitus tollitur per viam emendationem saltem triennalem.
23. Solum Papa dispensat in infamia Juris.
24. Episcopus autem dispensare potest solum in infamia Facti.
25. Immo alii volunt Episcopum, seu Prælatum neque dispensare posse in infamia Facti.
26. Alios infamare quale sit peccatum, & quam obligationem inducat, & an aliquando liceat remissive.
27. Se ipsum infamare quale sit peccatum, remissive.
28. Novæ addit. inseruntur, ad num. 41.

INFAMIA est privatio, seu diminutio bonæ famæ; Est in re communitatis; Seu, ut loquuntur Juristæ, infamia est læsæ dignitatis status, legibus, & moribus comprobatur. Sicuti è contra per ipsos Juristas, Fama est illiæ dignitatis status, legibus, & moribus comprobatur, leg. 5. §. 1. ff. de veris, & extraordin. cognit.

Infamia est duplex, infamia Juris, & infamia Facti. Infamia Juris, quæ etiam legalis dicitur, est, quæ ipso Jure, seu lege infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Infamia verò facti est, quæ oritur ex evidentiâ commisi alicujus delicti infamantis, seu vulgata opinione de tali commisso delicto, propter quod delinquentis bona existimatio apud probos, & honestos viros læditur, licet ab ipso jure expresse non notetur aliqua infamia, nec per sententiam irrogetur, argum. leg. neque famosus 2. C. de Dignit.

Infamia Juris dupliciter contrahitur, scilicet ipso Jure, & Facto, & per sententiam Judicis; Communis. Infamiam Juris ipso Jure, & Facto de Jure civili contrahunt sequentes. Primo, qui sive viri, sive feminae, quaestuaria prostitutione lenocinium exercent, leg. Athletas 4. §. Ait Prætor ff. de his, qui notantur infamia; leg. Palam 42. §. Lenocinium ff. de ritu nuptiarum. Secundo, qui quaestus causa, seu pretio accepto etiam cum homine ad privatum certamen descendunt: leg. Quod ait 2. §. 1. ff. De his, qui notantur infamia. Tertio, qui ex simili quaestus, seu pretio accepto histiones, ac turpes ludos agunt; cit. leg. Quod ait §. ultim. de his, qui notantur infamia. Quarto, qui operam suam ad pugnandum cum bestis lo-

Præter casus, quos A. ad infamiam incurrendam amplectitur, etiam comprehendit intelligitur, omnes ex justis nuptiis non procreati: ut in filio, quem in testamento pater vituperat malum de eo sentiendo, evenit: & non secus ac dum Juxer per modum correctionis objurgat, vel aliquem reprehendit; quam quidem infamiam, per sententiam ad restituendum vi, aut furto ablatum, non effugit, condemnatus (1). In ea inclusi quoque videntur quicumque foventes, auxiliantes, & populari tumultu quietem publicam turbantes (2).

Infamia prædictis mulieribus assignata, non tantum canonico jure invenitur sublata, prout ibidem refert A. verum etiam hispanico, ita ut si causa tali, aliqua moveatur actio, poenis statutis actor plectetur. (3).

(1) L. 2. tit. 6. part. 7. Enfadado es de fecho aquel que non nasce de casamiento derecho, segund manda Santa Iglesia. Eso mesmo seria quando el padre disfamase à su hijo en su testamento, diciendo al-gund mal del, è quando el Rey, è el Judgador dixese publicamente à quando que fciесе mejor vida de la que facia, no judgando, mas castigandolo: otro-si decimos, que si alguno fuесе condenado por sen-tencia del Judgador que tornase, è emendase alguna cosa que oviese tomado à otro por fuerza, è por furto, que es enfadado por ello de fecho.

(2) Ault. acord. 5. Maj. 1766. cap. 3. Y es de claracion, que qualquier persona que haya incurrido, è incurrirre en ser fomentador, auxiliador, è participante voluntario en estas aonadas, bullicios, è griterias sediciosas, è tumultos populares, por el me-ro hecho quedará notado durante su vida, además de sufrir en su persona, y bienes irremisiblemente las penas impuestas por las leyes de estos reynos contra los que causan, è auxilian motin, è rebellion, por enem-

go de la patria, y su memoria por infame, y detestable para todos los efectos civiles, como destructor del pacto de sociedad, que une à todos los pueblos, y vasallos con la cabeza suprema del estado:

(3) L. 3. tit. 1. lib. 5. Mandamos que las mugeres viudas puedan libremente casar dentro en el año que sus maridos murieren con quien quisieren, sin alguna pena, y sin alguna infamia, ella, ni el que con ella casare, no obstante qualesquier leyes de fueros, y ordenamientos, y otras qualesquier leyes que en contrario sean hechas, y ordenadas, las quales anulamos, y revocamos; y mandamos à los nuestros Jueces, y Alcaldes de la nuestra Casa, y Corte, y Chancilleria, y de todas las ciudades, y villas, y lugares de nuestros reynos, y señorios, que no atiendan de proceder, ni procedan por la dicha causa, y razon contra aquellos que con ellas se casaren, è pena de dos mil maravedis para la nuestra Càmara, y los que lo contrario hicieren sean emplazados, que parezcan ante Nos en la nuestra Corte.